



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

SS. Marcellinus & Petrvs Martyres. 2. Junii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

homines linguarum telis, & saxorum imbris ag-  
grediuntur. Si Deo servire intendis, cogita con-  
clamatum esse contra te illud: *circumveniamus justum*  
*& opprimamus eum*, tu sustine fortiter, & dic; *Si ho-*  
*minibus placerem*, Christi servus non essem.

---

## SS. MARCELLI- NUS & PETRVS MARTYRES.

2. Junii.

*Dum tempus habemus, operemur bo-*  
*num ad omnes, maximè ad do-*  
*mesticos fidei.* Paul. ad Gal. 17.

**N**ihil agis. Impietas: Christi Servus eti-  
am inter vincula liber est; Insultabat  
Arthemius PETRO compedibus onerato,  
experiretur Dei sui vires, & rumperet cate-  
narum nexum, si ramen in Jesu nomine  
confideret. Petrus non id modò præstitit,  
sed Paulinam insuper ejus filiam, Diaboli  
mancipium, expulso improbissimo tyranno,  
in libertatem asseruit, unaque Arthemio  
persuasit, Deo, antea subsannato, cum om-

B b 3 nibus

nibus carceris incolis, sacramentum dicere,  
**MARCELLINUS**, qui eos Christiano ritu  
 abluerat, nudus vitri fragmentis impositus,  
 non ante, quam ab Angelo iussus, ex illo se  
 lecto proripuit, & cœlesti ueste excultus cum  
 Petro, quem idem Angelus cippo exemerat,  
 Christianorum se cœtui reddidit, quibus a-  
 nimandis cum septem ipsos dies impendis-  
 set, pleno tandem agmine Arthemium cum  
 uxore & filia ad supplicium euntes comita-  
 tus est. Ipsi denique in silva, cui nigræ cog-  
 nomentum fuit, inter senticeta, capite ple-  
 xi sunt. Nihilominus vel invito tyranno ab-  
 scondi inter spinas lilia non potuere, & san-  
 citatis odor rubentes suo sanguine rosas  
 prodidit. Lucilla & Firmina castis illas ma-  
 nibus legerunt, & in communii SS. Mariy-  
 rum viridario, collocarunt. Silvae quoq; no-  
 men immutatum est pro Nigrâ Candida posthac  
 audiit. Esto & tu lilium inter orbis spinas,  
 & cali candidatum te appellabo. Ex Surin.

M E D I T A T I O  
*De triplici ratione convertendi a-  
 nimas.*

1. **E**thnicus ad veram fidem, peccator ad me-  
 liorem frugem verbis possunt revocari.  
 Verba

Verba quām plurimū valent, maximē si propinquus, aut amicus ea opportunē dixerit. Mutua necessitudo amicorum saluti, & Dei gloriæ serviat. Si verè amaveris quemquam, fac, ut & ipse Deum amet, & ametur à Deo.

2. Bona vita hortatio est validissima, potest certè allicere scelestos omnes ad meliorem vitam. Nunquid exemplum tot piorum hominum, qui fideliter serviunt Deo, utilius est convertendis peccatoribus; quām comptæ concionatorum orationes? Charitas, mansuetudo, humilitas, divitiarum, ac voluptatum contemptus, ea ipsa sunt, quæ peccatores ad emendationem vitæ & morum traducunt. Sic Apostoli vitæ integritate plures adjunxerunt sibi, quām Philosophi doctrinæ magnificentiā. Nec tantos inveniunt verba discipulos, quantos Christiani factū docendo. Tertul.

3. Tolerantiaz demū efficaciùs, quām verba, & aliæ actiones virtutem suadent. Martyrum crucifixibus infinitorum hominum debetur conversio. Patienter feras levitatem fortunæ, & hostium arrogantiā; hac siquidem ratione conversionem perficies tuam. Ad erudiendum populum nullorum utilior est forma, quām martyrum eloquentia. S. Leo.

## SS. PERGENTINVS & LAVRENTINVS. M M.

3. Junii.

B b 4

Vob